

v. 18): EGO SUM AZARIAE ANANIAE MAGNI FILIUS. Dum (IV) ad quaestionem Raguelis, unde ipse et Tobias iunior essent, respondit (Tob. 7, v. 3): EX TRIBU NEPTHALI SUMUS EX CAPTIVITATE NINIVE. Nonne cum Whitakero calvinista (1) ex his merito concluditur, librum Tobiae non esse canonicum, cum angelum Dei Raphaëlis dicta, nil nisi veritatem, licet aenigmati tectam, continent. Angelorum nempe subin apparentium actiones et verba ordinis sunt multo altioris, nec ab humanis moribus, aut communi modo loquendi hominum semper aestimandae. Unde singula Raphaëlis responsa sub vulgari verborum cortice sensus mysticos, simulque verissimos continent. Nam Raphaël sine mendacio dicere potuit, se esse ex filiis Israël, non quidem origine, sed custodiendi officio, eoquod israelitarum, et praesertim tribus Nephthali custodia ipsi a Deo demandata esset; vel quia Israël idem est ac videns Deum: angeli autem semper vident Deum: unde Raphaël cum veritate dicere potuit, se esse ex iis qui vident Deum. Dein recte dicit: mansi apud Gabelum fratrem nostrum; quippe boni angeli piis ab hominibus fratrum nomine vocari non dedignantur, siquidem eundem patrem et conditorem Deum, eandem haereditatem vel in re, vel in spe utrique habent. Praeterea Raphaël verum dixit, dum ait, se regionis Medorum vias frequenter ambulasse, seu lustrasse non pedibus, non equo, non curru, sed more angelis proprio; cum esset israelitarum hic degentium designatus a Deo custos. Verissime quoque se nominavit Azariam, h. e. auxilium Domini ad Tobiam missum, Magni

(1) L. 1 contra Edmundum Campianum. Vide etiam hanc in rem testimonium Corn.

Ananiae filium, i. e. Magni obnubilati seu latentis Dei filium. Ananias enim significat nubem Domini sive Dei, utpote qui oculis corporis videri nequit. Denique interrogatus, de qua tribu ipse et Tobias esset? recte respondit: de tribu Nephthali sumus, nempe Tobias genere, Raphaël protectione; ille per naturae generationem, alter per specialem deputationem divinam.

DICES: Haec Raphaëlis dicta tamen erant valde ambigua et aequivoca: atqui eiusmodi aequivocationes videntur dedecere angelum bonum, cum non multum absint a mendacio. R. Equidem locutiones amphibologicae seu aequivocae, id est, quae virtute grammaticalibus significationis ipsorum verborum duos sensus, unum obvium, alterum minus quidem ex rerum praesentibus adiunctis obvium, sed revera tamen virtute verborum competentem habent, sine gravi caussa prolatae illicitae sunt: quia, si communiter liceretur uti, magnum humano commercio nasceretur damnum; cum omnes ad singula colloquia suspicari deberent, se sermonum ambiguitate ludendos. Attamen nonnunquam, gravi exigente caussa, licet, imo obligatio saepe est, uti aequivocatione, si nimirum ordinatus sui ipsius, aut aliorum hominum amor, vel ipsa religio et iustitia iubent non communicare notitiam veritatis, ceu quae noxia futura esset; sique aliter respondendi interrogantibus necessitas declinari non possit. Si autem ulterius quaeras, quanam fuerit gravis caussa angelum Raphaëlem impellens ad utendum aequivocatione? R. Consilia Dei et coelitus non sunt curiose investiganda. Ceterum caussa potuit esse, ut ad tempus personam

a Lap., et Tirini, quod (comment. in Tob. c. 5, v. 18) de Whitakero perhibent.

suam angelicam occultaret ad officium suum ducendi et reducendi Tobiam a Deo sibi commissum, modo cum hominibus agendi magis naturali exequendum. Certe si statim ab initio se angelum esse manifestasset, haud dubie uterque Tobias prae reverentia et sacro horrore in terram corruissent, sicut factum est, dum idem angelus in fine (1) se manifestavit; nec iunior Tobias eodem itinere tam familiariter fuisset usus, sicut fecit, dum eum purum hominem, seu unum ex filiis Israël (2) esse putavit.

22. COROLLARIUM. Occultare suam personam ex rationabili causa (sicut etiam de locutionibus aequivocis diximus) licet, quia occultatio eiusmodi, sicut et ambiguitas verborum, cum abest fallendi animus, nil commune cum mendacio habet. Aliud est mentiri, aliud verum occultare, et alterius vel aliorum errorem permittere. Non nego, alterum decipi, sed per accidens id fit; quia is non loquentem aut se occultantem, sed se ipsum minus attentum debet accusare. Atque hic est usus communissimus in humano commercio: quod docent simulationes non raro licitae, stragemata etc. Quodsi loquimur de angelis, patet, eosdem uti simulatione, quoties humanam speciem assumunt, et sub hac angelicam dignitatem suam occultant. Similiter Christus personam suam occultavit, dum Magdalena specie hortulani (3), et discipulis euntibus in Emmaus specie peregrini viatoris (4) apparuit.

NEQUE DICAS: Non licet occultare personam suam, aut amphibologicè loqui animo et intentione alte-

(1) Tob. 12, 16 et 22. (2) Tob. 5, 7.

(3) Ioan. c. 20, v. 14 et 15.

(4) Luc. c. 24, v. 15 et 16, vide etiam Corn. a Lap. comment. in hunc s. Script. locum. — « Ceterum, si Raphaël commode

rum fallendi: ergo neque animo et intentione sese occultandi; quia unum cum altero est connexum. Certe non apparet, quomodo possim intendere mei occultationem, quin intendam alterius deceptionem. R. Non intendo alterius deceptionem, sed intendo permissionem eiusdem deceptionis. Saepe autem licite et laudabiliter permittitur malum, ut ex tali permissione bonum eruatur. Praeterea non raro aliqua sunt connexa, quorum unum intendi potest, quin intendatur alterum. Sic Deus intendit redemptionem generis humani obtinendam per mortem a sceleratis crucifixoribus Christo illatam, et tamen non intendit, sed solum permisit malitiam crucifixorum, quamvis hanc talis redemptio supponat. Similiter parentes licite intendunt generationem prolis, tametsi in hac providentia generatio prolis cum infectione prolis per peccatum originale connexa sit, neque unum sine altero obtineri possit. Intendunt nimirum generationem, infectionem autem prolis per peccatum originale duntaxat permittunt, quamvis haec duo ita connectantur, ut unum sine coniunctione alterius obtineri nequeat.

23. QUÆRES VII. An non asiaticas fabulas sapiant quae in libro Tobiae referuntur (I) de pisce et fumo cordis eius (Tob. 6, v. 8 et 19) his verbis: CORDIS EIUS (i. e. piscis) PARTICULAM SI SUPER CARBONES PONSAS, FUMUS EIUS EXTRICAT OMNE GENUS DAEMONIORUM, SIVE A VIRO, SIVE A MULIERE, ITA UT ULTRA NON ACCEDAT AD EOS. Et iterum: INCENSO IECORE PISCIS FUGABITUR DAEMONIUM. Sed quid daemonio cum fumo pi-

potuit Azariae personam assumere, sponte consequitur non solum potuisse, sed debuisse, ne mendax fieret, talem se gerere et exhibere qualem ipse magni Ananiae filius se praebuisset. » (Nota edit.).

scis? (II) de DAEMONIO (Tob. 8, v. 3) RELIGATO IN DESERTO SUPERIORIS AEGYPTI. At quomodo spiritus qualis daemon est ligari potuit? (III) de CANE (Tob. 11, v. 9) PRAECURRENTE, et reditum iunioris Tobiae BLANDIMENTO CAUDAE SVAE quasi praenuntiant. Nunquid haec et similia in episodis piae fabulae ad consolandos in captivitate iudaeos excogitatae censi possunt? R. Nego hoc assertum incredulorum. Nihil enim ex modo recensitis factis est fabulosum aut maiestatem divinae Scripturae ullo modo dedecens. AC AD PRIMUM quidem praecipue duplex responsio dari potest. Prima est *Tirini* dicentis hunc fumum fuisse signum, quo posito, daemon ab angelo bono erat expellendus et in perpetuum fugandus: idque non intuitu fumi, sed obedientiae *Tobiae* in illo fumo, ut iussus erat, excitando, et intuitu piarum precum eiusdem, quibus daemonem fugari a Deo postulabat: unde facto illo suffitu *Tobiae*, dicitur (1) *Raphaël Angelus apprehendisse daemonium et religasse*. Altera responsio est *Calmeti*, et multorum aliorum dicentium, quod cor et iecur illius piscis incensum habuerit virtutem naturalem ad sedandos motus concupiscentiae, et sic conduxerit ad castitatem *Tobiae*, et indirecte ad fugandum daemonem, ferme sicut sonitus cytharae *Davidis* dissipando humores melancholicos fugavit spiritum malum *Saulis*; prout alibi (2) explicavimus. Nam ex una parte vim istam fraenandae veneris auctores *Historiae naturalis* multis plantis, succinis, et odoribus tribuunt; quemadmodum e contrario multis aliis adscribunt vim veneris

(1) Tob. c. 8, v. 3.

(2) S. Script. contra incred. propugn., V. T., p. 3, sect. 1, n. 15 ad tertium.

(3) Tob. c. 6, v. 16 et 17.

irritandae: ex altera vero parte certum est, quod effraenis concupiscentia fuerit causa, ob quam diabolus ante insidiatus fuerit septem illis viris *Sarae*, et illos occiderit, ut iuniori *Tobiae* clare indicavit angelus (3) his verbis: « Audi me, et ostendam tibi, qui sunt, quibus praevalere potest daemonium. Hi namque, qui coniugium ita suscipiunt, ut Deum a se et sua mente excludant, et suae libidini ita vacent, sicut equus et mulus, quibus non est intellectus; habet potestatem daemonium super eos. » Duas tamen hic censeo adhuc addendas observationes. Prima est cl. *Iosephi Anton. Weissenbach* (4) asserentis, *fumum illum ex corde iecoreque assati piscis* non solum habuisse virtutem naturalem sedandam motus concupiscentiae, et sic fugandi libidinis daemonem seu *Asmodaeum*, sed temperandi singulos humores humani corporis, sicque componendi quasvis etiam alias affectiones malas, quia angelus expresse dixit (5): *Fumus eius extricat OMNE GENUS daemoniorum*. Certe haec verba non solum de libidinis daemone, sed de omnibus daemoneis idipsum affirmant. Altera est *Cornelii a Lap.* (6) et aliorum, qui primam et secundam responsionem veluti coniungunt, dicuntque, fumum cordis piscis assati expulisse quidem daemonem inchoate vi naturali, sed complete eundem expulsum fuisse vi angelica et coelesti. *Inchoate vi naturali*, nimirum impediendo actionem daemonis per dispositionem contrariam, ut paulo ante declaravimus. Daemon enim agit per naturales causas, et humores melancholicos vel alios: quae ergo humores istos tollunt, vel minuunt aut

(4) Tom. 2 nov. form. theol. bibl. lil. 4, q. 9, p. 154 et 153.

(5) Tob. 6, v. 8. (6) Comment. in Tob.

sedant, daemonis actionem et vexationem infringunt. Completa tamen causa abigens daemonem, fuit *Raphaël* angelus, qui ad suffitum iecoris propter merita et orationem *Tobiae* fugabat daemonem. Hoc autem tacuit *Raphaël* et suffitum praetexit, ne se manifestaret, neve *Tobias* sciret eum esse angelum, quem quasi hominem habebat viae comitem et ducem, sicut eadem de causa vocavit se *Azariam*, ac cum *Tobia* comedit et bibit.

24. AD 2 R. cum s. *Augustino* (1): *Allegatio diaboli est non permitti exercere totam tentationem, quam potest vel vi vel dolo ad seducendos homines*. Similia non semel occurrunt in Scripturis, v. g. in libro *Apocalypseos* (2) ubi dicitur: « Et apprehendit (angelus) draconem, serpentem antiquum, qui est diabolus et satanas, et ligavit eum per annos mille. » Item in epistola secunda (3) s. *Petri* legimus, « Deum angelis peccantibus non pepercisse, sed rudentibus inferni detractos, sed tartarum tradidisse cruciandos. » Et in epistola catholica b. *Iudae apostoli* (4) idem repetitur his verbis: « Angelos vero qui non servaverunt suum principatum... vinculis aeternis sub caligine reservavit. » Verum increduli his non acquiescunt, sed

INSTANT I. et aiunt: Quid ergo diabolus ligat, aut certo loco tenet? R. Imperium Dei, qui eius potestatem nocendi coërcet certis limitibus, quos ultra citraque nullum hominibus possit detrimentum afferre.

(1) L. 20 de civ. Dei, c. 7.

(2) Cap. 20, v. 2. (3) Cap. 2, v. 4.

(4) V. 6.

(5) Desertum superioris Aegypti secundum *Ptolemaeum* (lib. 4 geograph.) est desertum Thebaidos: nempe australior et superior Aegypti pars, e qua Nilus delabitur, montibus aspera, arenis plena, pluviis destituta. Unde etiam s. *Hieronymus* (comment. in cap. 30 Ezechielis)

Sic in ipsa domo *Sarae* nemini nouisse legitur, nisi illis septem viris, qui sola libidinis causa ad puellam accessere.

INSTANT II. Cur ergo in Thebaidem pulsus daemon? R. Quia regio haec, quam vocant *superiorem Aegyptum*, propter sterilitatem, et bestias venenatas quam maxime inculta est (5). Ceterum *Christus* ipse innuit, daemones in locis desertis, squalidis et arentibus morari, donec nanciscantur facultatem et tempus revertendi et iterum nocendi hominibus. « Cum autem, inquit apud *Matthaeum* (6), immundus spiritus exierit ab homine, ambulat per loca arida (vel, ut *Lucas* (7) ait, per loca inaquosa) quaerens requiem, et non invenit. Tunc dicit: Revertar in domum meam, unde exivi. »

INSTANT III. Saltem praeferenda est explicatio, qua *Hugo Grotius* omnium primus inextricabilem hunc nodum praecidit, nomine *Asmodaei* nihil aliud intelligens, quam noxiam quandam in corpore *Sarae* affectionem, quae irritata venereo aestu septem illis viris mortem attulerit. *Hebraei* enim omnes morbos, quorum causae latebant, *daemones* appellasse dicuntur. Hanc porro pestem *Tobias* cum temperantia, tum fumo illo, quo conclave et lectum purgabat, depulit, increduli libenter adoptant hunc modum explicandi, ut levi brachio se expediant, nullumque prodigium, daemonem nullum admittere cogantur. Verum huic sententiae *Grotianae*, quae pro se

eandem regionem describit tanquam valde incultam his verbis: « Ibi Nilus in navigabilis est, et cataractarum fragor, et omnia invia, plenaque serpentum, et venenatorum animantium. » — « Non absurde figuratam dices locutionem illi persimilem: in fines age *Thracios*, quae legitur in hymno s. *Martinae* in Brev. ad diem xxx ian. » (Nota editoris).

(6) Cap. 12, v. 43. (7) Cap. 11, v. 24.

nihil habet, quam libidinem novandi, sensum omnium pp., et totius ecclesiae opponimus, quae semper iudicavit, nomine *Asmodaei* aliquem daemonem in Scriptura denotari, ac septem illos viros a daemonio, et non ex morbo a *Sara* contracto fuisse occisos. Unde *Calmet* (1) sententiam *Grotii* refutans, recte ait: « Nullius esse momenti reputanda est quorundam recentiorum interpretum singularis opinio, qui nullo satis firmo ducti argumento, de historiae omnium tam iudaeorum, quam christianorum assensu probatae veritate dubitarunt. » Accedit, quod uxor iunioris *Tobiae* nullo, quantum scimus, corporis vitio laborarit, adeoque *Grotius* noxiam illam corporis *Sarae* affectionem prorsus gratis confinxit. Denique ex *Grotio*, eiusque sectatoribus quaero: An, aut quomodo angelus *Raphaël* noxiam illam affectionem corporis *Sarae* (2) in deserto superioris *Aegypti* religarit, siquidem *Asmodaeus* seu daemonium septem illos viros enecans nihil aliud (ut adversarii volunt) fuerit, quam aliqua noxia qualitas seu affectio corpus *Sarae* inficiens?

25. Ad 3 de cane *Tobiae* iam alibi (3) respondimus, et diximus, eiusmodi minutiora rei gestae adiuncta a scriptore expressa ad fidem historiae conciliandam, et ad alias utilitates multum conducere.

26. QUÆRES VIII. Quomodo *Tobias senior* de exustione templi hierosolymitani tanquam de re praeterita loqui potuerit (Tob. 14, v. 7): DOMUS DEI,

(1) In dissertatione de *Daemone Asmodaeo*, quae ante commentarium ipsius in 1. *Tobiae* posita est.

(2) Tob. c. 8, v. 3.

(3) Vide s. Scriptur. contra incredulos propugn., V. T., p. 3, n. 17 et 18, q. 17.

(4) Templum Salomonicum 53 annis post mortem senioris *Tobiae* exustum est. Nam teste *Calmeto* (in suo diction. bibl.

QUAE... INCENSA EST, REAEDIFICABITUR; cum tamen hoc diu post mortem *Tobiae* (4) contigerit? Nonne talis locutio ansam praebet suspicandi, quod aliquis impostor primum post eversionem *Hierosolymae* et templi *librum Tobiae* confinxerit? R. *Tobias* loc. cit. propheticè loquitur. Sicut enim praecedente capite 13 de *Hierusalem* felicitate et gloria praeclare vaticinatus est, ita morti proximus cap. 14 praedicat eversionem *Ninivae* ac *Hierusalem*, huiusque restaurationem et gloriam per vocationem gentium ad veram fidem. Iam vero prophetae saepe usurpant praeteritum pro futuro, quia tam certo futurum vident, ac si iam factum esset. Sic propheta *Isaias* (5), acsi Christi passio iam praeterisset, dicit: « Vidimus eum, et non erat aspectus... vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit. » Dicendus igitur *Tobias* loc. cit. vaticinari, atque praeteritum pro futuro usurpare; quod graecus textus palam ostendit, qui ita habet: « *Hierusalem* erit deserta, et domus Dei in ea comburetur... Et iterum miserebitur eorum Deus... Et aedificabunt *Hierusalem* honorifice: et domus Dei in ea aedificabitur. » En! prophetiam.

27. QUÆRES IX. Quomodo idem *Tobias senior* (Tob. 14, v. 6) eversionem urbis *Ninive* praedicere potuerit his verbis: PROPE ERIT INTERITUS NINIVE: cum tamen ex historia certum sit, quod *Ninive* iam ante huius *Tobiae* tempora diruta fuerit? R. Non semel, sed iteratis vicibus (6) capta et vastata est *Ninive*.

v. *Tobias*) senior *Tobias* mortuus est anno m. 3563: Templum vero *Salom.* exustum est an. m. 5416. Vide *Tabulam* chronologicam generalem historiae biblicae, positam ad finem citati dictionarii biblici.

(5) *Isai.* c. 53, v. 2, etc.

(6) Vide *Cornel. a Lap.* aut *Calmet* comment. in Tob. c. 14, v. 6.

Nam primo capta est ab *Arbace* medorum praefecto, alque a *Beleso* babilonio, regnante in *Ninive* rege *Sardanapalo*, qui ita obsessus et in angustias redactus semet cum uxoribus suis, eunuchis, et opibus, ut omnes norunt, incendit. Hoc autem factum est anno m. 3257 (1), adeoque ante praedictum vaticinium senioris moribundi *Tobiae*, qui primum obiit an. m. 3363 (2). Sed praeterea capta et vastata est *Ninive* sub annum decimum tertium *Iosiae* regis *Iuda* an. m. 3378, adeoque post obitum *Tobiae*: et de hoc excidio cit. loc. loqui *Tobiam* censent s. *Hieronymus*, *Euseb.* et alii. Imo *Cornelius a Lap.* (3) contendit, *Niniven* adhuc serius, nimirum quinto anno post excidium *Hierosolymae* eversam esse.

28. QUÆRES X. Cur *Iosephus iudaeus* gesta *Tobiae*, si vera sunt, in sua historia de antiquitatibus iudaicis, aut alibi ne verbulo quidem attigerit? R. Silentium *Iosephi* de *Tobia* variis ex causis proficisci po-

tuit. Primo, quia defixus in referenda publica totius gentis iudaicae historia particularis illius familiae gesta et fata narrare supersedit. Secundo, quia libri huius historiam chaldaico sermone scriptam (4), nec in hebraicis iudaeorum scriptis, nec in canone esdrino reperit. Unde non mirum, quod de *Tobia* sileat, quandoquidem, et *Iobi* historiam utpote nationi iudaicae extraneam, et caedem infantum sub *Herode*, et nonnulla alia privatis ex studiis omisit. Praeterea est sanae critices regula: Si plures scriptores rem quandam referant, de qua alii ne verbo quidem disserunt, audiendus potius est is, qui refert, quam ille, qui rem silentio premit. Cum igitur *Tobiae* historiam auctor huius libri referat, et ss. patres eam ut historiam agnoscant, non est curandum silentium *Iosephi iudaei*; praesertim quia huius scriptoris omissiones et errata alia graves auctores (5) perstringunt.

SECTIO II.

DE LIBRO IUDITH

Auctor huius libri iuxta communioem sententiam fuit *Eliachim* (6), qui nonnunquam vocatur *Ioachim* (7), quique tanquam Sacerdos summus rebus hoc libro narratis non modo interfuit, sed et pene praefuit. Adde, quod hoc publicarum scriptionum historicarum munus teste *Iosepho* (8) sacerdotum

(1) Vide *Calmet* loc. cit.

(2) Vide *Calmet* dictionar. biblic. verbo: *Tobias*.

(3) Loc. cit. item comment. in *Nahum*, c. 2, v. 1.

(4) Vide s. *Hieronymi* epist. 100 ad *Chromat.* et *Heliodor.*

(5) Vide *Cornelii a Lap.* commentar. ad lib. *Regum*, et ibi inquire in indice

principibus demandari solitum fuerit. Porro tres in partes liber iste dividitur. Prima occasionem belli contra *Palaestinam* ab assyriis suscepti, altera obsidionem *Bethuliae* ab exercitu *Holofernis*, tertia urbis huius obsessae et *Palaestinae* liberationem per caedem *Holofernis* ab *Iuditha* illatam exponit.

verbo: *Iosephus*. Item consule *Natal. A. lex.* tom. 1 *Hist. eccl.* in 4 mundi aetatem, c. 6, et in tom. 2, in 5 mundi aetat. cap. 2, et in 6 mundi aetat. c. 2. Item *Calini* hist. bibl. in praefat. et alibi.

(6) *Iudith* c. 4, v. 5.

(7) *Iudith*, c. 13 v. 9; item vide *Calmet* dictionar. bibl. verbo: *Eliachim*.

(8) L. 1 in *Appionem*.